

inuehendo, inuidia & suspicione qua olim laborauerat, se purgaret. scortationum nulla illi necessaria erat defensio, quarum fœtorem facile haurit & absorbet pia mater Sorbona. Vnum crimen diluendum erat, procul se abesse à Christianorum seâta, quam aliquando esset professus: cuius item nomine famam aliquam doctrinæ sibi comparasset, adeoque in tantum fastigium ascendisset. Toti collegio molestus, iubetur paucis agere, & quò tendat, breuibus dicere. Pauci admodum reperti, qui innocentem timidè defenderent: qui tamen multis rationibus in medium adductis, communi sententiæ cedere coguntur, è synagoga alioqui exterminandi. Expectat ouis luporū ex Capella egressum. Salutant, quasi osculum Christo Iudas porrigeret. Quid decretum sit, tacent. Rogo Decanum, Heus tu domine, quid tandem? quid Regi referam? Blanda ille voce respondet, Domini nō sunt in ea opinione vt Nouum istud testamentum vēdatur. Quamobrem, rogo. Propter annotationes marginales, ait. Varias lectiones (docti Græce homines) iudicabant esse annotationes quasdam quæ extra textū additæ es-

c.iiii.